

Cornelius, in c. XIV. Dan. Plures alii sancti sustulere suis precibus dracones et hujusmodi serpentes, ut habet Baronius, an. 324. Verum S. Silvester una cum hoc dracone sustulit etiam gentiliū superstitionem, ipsumque gentilismum, magna saltem ex parte. Una enim cum Constantino adduxit ad fidem quam plurimos Romanos, effecitque ut spelunca draconis fieret templum B. Virginis, et Roma spelunca superstitionum et idolorum fieret caput Ecclesiæ et domus sanctorum.

V. Quintus erat caterva hæreticorum, qui Judæis et gentilibus jam depressis, Ecclesiam vexare cœperunt. Fuit autem imprimis Arius, quem habito Concilio Nicæno, missoque ad id Hosio episcopo Conturbensi legato suo in conventu 318. episcoporum, et sursum altero 284. episcoporum habito, condemnavit. Neque solum hoc, sed præterea Ecclesiam catholicam mirifice exaltavit, postquam Constantinus passim ædificari templa et jussisset et permisisset, eaque magnifice dotasset, pontificiam præsertim sedem Romæ stabilivisset et potentia firmasset, cedendo ei Romam et secedendo Byzantium, ubi alteram sibi Romam strueret (ut multi antiqui scribunt) quo nimirum Ecclesia se conservare et contra gentiles atque hæreticos defendere ac tueri posset. Ferit hoc adversariorum oculos, qui papam ejusque clerum Petro et aliis apostolis inopia parem optant, ut ipsi libitu suo vivere, spreto et subactis Ecclesiæ prælatis, possent. Verum id neque rationi, neque sacrarum litterarum vaticiniis consentaneum erat. Primum agnovere ipsi reges et imperatores, qui ideoque Ecclesias et episcopatus tot redditibus vallarunt, ut post Constantinum Carolus M. in Gallia: « Ne sancta Dei Ecclesia hujus sæculi potentibus subjaceret, ut tyrannidem eorum pavesceret: imo superborum colla Dei virtutis superior calcaret, » ita Steph. abbas Leodiensis in vita S. Modoaldi, apud Sur. 12. maii. Deinde, prædixit id Isaias imprimis, c. LX. cum ait de Ecclesia novæ legis: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem. Suges lac gentium* (Chald. *satiaberis divitiis*

populorum) et mamilla regum lactaberis (Septuaginta habent): *divitias regum comedes, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob*. In superbiam sæculorum posita est Ecclesia, cum ei Roma caput mundi et sedes imperatorum sponte se subiecit et cum ea totus orbis Romanus, ita ut reges ipsi honorem deferrent, et genua sua flecterent. In gaudium vero cum iidem reges et principes magis sibi gavisi et gratulati sunt quod essent filii Ecclesiæ, quam quod essent reges et imperatores, ut fassus est Theodosius senior imp. et S. Ludovicus Galliæ rex. Sugit lac gentium, dum regum opibus et piis foundationibus enutritur et augetur; quod etiam, c. XLIX. dixit Isaias: *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent*. Denique, hoc etiam spectat ad Christi Domini gloriam, ut citato loco postremis verbis indicat Isaias: *Et scies quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus fortis Jacob*. Quis enim non miretur Christi potentiam, qui sua quam in hoc mundo elegit ac tenuit paupertate, Ecclesiam suam adeo ditavit, non armis, aut potentia sed spontanea regum principumque liberalitate, ita ut non modo suas facultates, sed etiam seipos ad Ecclesiæ, apostolorum et pontificum pedes abjicerent? Unde enim Ecclesiæ illa divitiarum affluentia, summi pontificis majestas, S. Petri opulentissimum patrimonium, cardinalium amplitudo, episcoporum dignitas, potentia et principatus, prælatorum splendor, monasteriorum opulencia, canonicorum opimi redditus, militarium ordinum prima nobilitate, divitiarum templorum, altarium, sacrorum utensilium nitor et pretiositas, nisi ex Christi Domini paupertate? *Quoniam propter vos egenus tactus est, cum esset dives ut illius inopia vos divites essetis*, apostolus, II. Cor. VIII.

Laudemus ergo virum hunc gloriosum, tot draconum debellatorem, laudemus parentem nostrum, per quem habemus etiam nos, quod devicto illo stygio dracone, Ecclesiæ filii simus et hæredes regni cælestis, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUO FINE LUMBI NOSTRI PRÆCINCTI ESSE DEBEANT.

I. Ad peregrinandum in cœlum. — II. Ad bajulandum. — III. Ad laborandum. — IV. Ad militandum. — V. Ad ministrandum. — VI. Ad natandum et transvadandum.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII.

Fuit apud veteres multos nota alicujus probri, neenon mali ominis, cingulo carere. Probrum certe fuit militibus, quorum uti militare insigne præcipuum erat balteus, seu cingulum. (quod ex balteo Jonathæ colligitur, I. Reg. XVIII. ita maxima ignominia et pœna erat balteo spoliari. Unde Augustus Cæsar, teste Suetonio, milites delinquentes jussit pedibus stare discinctos, ad sui confusionem. Erat etiam indicium hominis ignavi, dissoluti et male compositi atque ad res gerendas idonei; unde emanavit illud: *Discincta vestis, discinctus animus*, sicut e contra homo præcinctus pro industria habebatur. Certe Julius Cæsar adhuc puer, quod laxius etiam adeoque negligentiuss esset præcinctus, notabatur de malo omine; Sylla optimates sæpius admonente, ut *male præcinctum puerum caverent*, Sueton. in Jul. Cæsare. Apud Carthaginienses quoque discincti ducebantur postremi homines, Alex. ab Alex. lib. I. cap. XX. Idem mihi videtur a Judæis observatum fuisse, qui cum talaribus uterentur vestibus, eas præcingere solebant. Verum quidquid de hoc cingulo sit, majus longe probrum est homini christiano, carere cingulo animi, quam olim fuerit carere zona vestium: id enim multo certius hominis ignavi et dissoluti signum est. Quare hoc probrum ut a nobis tolleretur Christus, in hodierno evangelio monet: *Sint lumbi vestri præcincti*. Verum in quem finem vult nos accinctos esse? Utique in eum, quo accingi solemus ad opus aliquod aggrediendum; veluti:

I. Ad ambulandum et peregrinandum in cœlum, absque remora et impedimento rerum sæcularium. Ita exponit S. Augustinus, lib. II. quæst. evang. cap. XXV. Tertull. lib. IV. contra Marcion. Et huc potissimum collimat Christus, quia præmiserat quærendum ante omnia regnum cœlorum, et thesaurum in cœlo parandum. Eo igitur nos mittere volens, jubet ut lumbos nostros præcingamus; quod solent facere, qui ad iter se

accingunt, pedibus conficiendum. Quo sine etiam, præcepit Hebræis profecturis ex Ægypto in terram promissionis: *Renes vestros accingetis*, Exod. XII. quo videlicet expeditius pergere via longa et aspera possent; siquidem vestes talares grossum impediunt, dum perpetuo verberant pedes et gravant. Tali modo Elias cucurrit ante Achab, *accinctis lumbis*, III. Reg. XVIII. Vestes talares sunt bona terrena, quibus onerati difficulter sane progredi ad vitam æternam possunt. Scimus Heraclium imperatorem quando sacram Christi crucem e civitate Jerosolyma, in montem Calvarie suis humeris efferre cœpit, progredi non potuisse, sed in porta sistere coactum, utpote auro et gemmis onustum, imperialique paludamento impeditum; quæ ubi ex consilio, patriarchæ deposuit, et vulgarem habitum, induit, sine difficultate reliquum iter confecit, ex brev. Rom. Idem accidit Christianis, qui crucem Christi in se gestandam susceperunt: solent enim, si bonis terrenis onusti sint, impediri vehementer a progressu, et plerique omnino sistere atque in luto hujus mundi hærerere. Quare qui ad hoc iter expediti esse volunt, pondus hoc cum Heraclio omnino abjiciunt, et pauperculum induunt habitum, in statu religionis. Hoc vero quia non omnium est, superest ut reliqui sectentur Christi consilium, et præcingant saltem vestes suas, more peregrinorum, quo facilius progrediantur. Tali modo Tob. V. apparuit Raphael angelus Tobie, *præcinctus videlicet, ad ambulandum, ut se comitem itineris ipsi offerret, interim etiam et ipsum et omnes doceret, qua ratione se parare ad iter cælestis debeant, abstrahendo scilicet animum ab hujus sæculi bonis, eisque sic utendo, quasi non utantur, ad eum modum, quo ipse postea dixit, cap. XII. Cum essem vobiscum, videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*. Hoc est præcinctum esse: uti bonis quidem hujus mundi, in iis tamen nihil delectationis (sic enim et Raphael comedebat et hiebat, sed absque omni gustu et delectatione) quærere aut sentire, sed spirituali potius et cælesti alimonia cupere satiari atque delectari, cibum angelorum, non animalium, appetere. Docuit hoc facere clericos S. Silvester, dum eis negotiationes sæculares et nundinationes interdixit; dies etiam hebdomadis ferias appellari præcepit, ut scirent animum ab hujus sæculi negotiis esse avocandum, et ad Dei

obsequium per omnia transferendum. Ex quo manifestum est ipsum Silvestrum velut legis hujus latorem ab amore rerum sæcularium fuisse quam alienissimum. Et quid summus legislator Christus, quid ipse de bonis hujus mundi usurpavit, qui se suis exiit et plane *exinanivit, formam servi accipiens*?

II. Ad bajulandum et onera ferendum; id enim facere solent, qui sarcinas gestant, tum ut levius eas ferant, tum etiam ne rumpantur et herniam contrahant. Ita sacerdotes, qui gestabant et sustinebant arcam fœderis: *Stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti*, Jos. III. Ad quid accincti, nisi ut facilius arcam gestarent? Debent Christiani omnes, præsertim vero sacerdotes, sua quædam onera portare ad cælum: qualia vero nisi proximos suos (hos enim, seu electos, ut sentit P. Cornelius, in cap. XXV. Exodi designabat arca illa) quos data occasione possunt? Ita enim legimus Ecclesiastici. XVII. *Mandavit illis unicuique de proximo suo*. Causam dat S. Leo, sermone de S. Laurentio: « Nam nullus vere bonus (inquit), sibi soli bonus est, nec cujusquam sapientis sibi tantum amica sapientia: et hæc verarum natura virtutum, ut multos a tenebroso abducant errore. » Posset Deus se solo homines perducere ad salutem, sed propter meritum nostrum vult nos habere coadjutores suos. Sic in vita S. Eduardi, regis Angliæ, scribit Ælredus abbas Cisterc. Hibernum quemdam utroque pede claudum, postquam sexies repens Romam visitavit limina apostolorum, a S. Petro spem quidem sanitatis accepisse, remissum tamen ad Eduardum regem, quod eum habere socium et cooperatorem miraculi et sanitatis impertiendæ vellet; ita videlicet, ut rex suis humeris claudum susciperet et ad Divi Petri templum deferret. Quod ubi rex hilari et promptissimo animo fecit, claudus usum pedum recepit. Magnum hoc beneficium, maximus honor fuit regi; qui et nobis offertur, quoties datur occasio eripiendi aliquem e peccati barathro, vel periculo incidendi, et ad Dei gratiam reducendi. Nec minor honos fuit, quem idem S. Petrus una cum S. Paulo imperavit S. Silvestro, quando Constantino M. imp. apparens in somno et promittens lepræ abstersionem, remisit eum ad Silvestrum; cujus opera, per baptismum, non solum carnis, sed etiam animæ lepram esset abluturus, uti factum. Qui etiam magno animo et gaudio accinxit se ad opus, instructumque in fide ac baptizatum Constantinum suis quasi manibus gestavit in ecclesiam et electorum numerum. Hujusmodi etiam bajulus fuit S. Franciscus Xaverius, cum per quietem sibi visus est humeris Indum aliquamdiu vec-

tare, tam gravem ut ipso pondere fatigatus excitaretur a somno; præ sagio laborum quos pro Indorum salute subiturus erat, Tursell. in vita, l. I. c. VIII. Jam quid legislator noster Christus? Nonne *peccata nostra ipse tulit in corpore suo*, ut nos cælo inferret? Non feret igitur servus conservum suum, si ita tulit Dominus servos suos?

III. Ad laborandum. Ita exponunt Theophylactus, Euthymius, et Titus; quasi Christus dicat: Sitis præcincti et parati ad agenda bona opera; qui enim graviter operari volunt, ad hoc se accingunt; ne a defluentibus impediatur vestimentis. In hunc finem mulier illa fortis, Proverb. XXXI. *Accinxit fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum*, ut videlicet domi suæ sedulo laboraret. Ad hoc cingulum vocatus est a Christo Petrus, postquam ei ab eodem collatus est primatus, Joan. XXI. *Cum esses junior, cingebas et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis*. Ad crucem ergo Petrus accingere se debuit, priusquam ad Christi mensam in cælo consideret. Si hoc Petro dictum, quid aliud nobis expectandum? Accingendi prius ad ferendam crucem lumbi sunt, si cum Christo intrare in gloriam volumus. Clamat hoc Deus, clamant beati, clamant universa rerum natura. Deus post sex dierum operationes, primum instituit diem quietis: arca post varias jactationes in diluvio, demum conquievit in montibus Armeniæ: Hebræi post aquas amaras acceperunt manna: post quadraginta annorum profectionem intrarunt terram lacte et melle manantem: Elias non nisi post timores, fugam et ærumnas, evehitur in cælum, seu quietis locum, IV. Reg. II. saxa prius tundi et secari debent, quam in templi structuram adhibeantur: lyræ chorda prius extendi et quasi lamentari, quam sonum dulcem reddant: in agro prius arandum, quam metendum: in bello prius pugnandum, quam triumphandum. Idem et gentiles naturæ lumine viderunt: Balearici filiis suis panem negabant, nisi funda jaculando scopum tetigissent, Strabo, lib. III. Gymnosopistæ suos nequaquam ad mensam admittebant, nisi prius demonstrassent, qui eo die laborassent, Alex. ab Alex. l. V. c. XXI. Adeo naturæ insitum et conveniens est, ut omnis felicitas labore comparetur: et qualis est dependentia oculi a luce, ut sine ea nihil videre possit; talis est felicitatis a labore, ut absque eo non acquiratur, ut docet Philo, lib. de sacrif. Abel. Ipse legislator noster Christus *in laboribus a juventute sua* (Ps. LXXXVII.) diu noctuque laborans hunc mundum *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos*, Act. X.

Quem utrum imitatus sit S. Silvester, qui dubitat, nescit sane ille quam operosum ac laboriosum onus sit summi Ecclesiæ pastoris, quod ille insigniter administravit per annos prope viginti duo; adeo ut dignus fuerit habitus, qui summum orbis monarcham, Constantinum M. ejusque matrem Helenam, proles, aulam, innumerabilemque populum Romanum, nec paucos Judæos instruxerit in fide et ad eam perduxerit.

IV. Ad militandum. Solent enim milites gladio se accingere, et balteum suum pro insigni militari gerere, quod sæpe in ss. litteris notatur; uti Psal. XVII. *Præcinxisti me virtute ad bellum*: et ad Eph. VI. *State succincti lumbos vestros in veritate*. Dixerat Eliphaz: (Job, c. V.) *Homo nascitur ad laborem*. Cui respondet Job, cap. VII. *Militia est vita hominis*; quasi dicat: Non solum labor, sed etiam pugna et *tentatio* est, uti alii legunt. Habemus enim multos et varios hostes, tres præsertim capitales: dæmonem, mundum, et quem fugere non possumus, carnem propriam. Quia namque gloria cælestis incomprehensibilis est, quibuscumque tandem laboribus et præliis promerenda est. Atque huc respexit S. Petrus, epist. I. cap. I. quando, explicata ac proposita: *Hæreditate incorruptibili et incontaminata et immarcescibili, conservata in cælis*, subjecit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, etc.* quasi diceret: Cum tanta vobis corona sit proposita, merito vos accingere ad præliandum debetis pro illa. Nationes aliquæ filios ad mensam parentum non admittebant, nisi bello assuetos, uti Gothi, apud Cassiod. in epist. aliæ nemini uxorem ducere permittebant, nisi qui prius hostis, saltem unius, caput amputasset et ad regem attulisset, uti Ariani, Persarum finitimi, apud Strab. lib. XV. Et si Josue non dimisit Hebræos in possessiones suas, nisi postquam gladio suo debellarunt gentes, Jos. XXIV. quis, nisi per varias pugnas ad coronam aspirare audebit? Ipse summus noster et verissimus Josue, hoc est, Salvator Christus, nonne præliari debuit, et quidem acerrima prælia, contra dæmones, undique ejiciendo illos? Contra mundum, corrigendo perversum, tolerando sibi refractarium, beneficiis deliniendo sibi ingratum? Contra carnem propriam, minime quidem rebellem, sed objiciendo eam velut agnum innocentissimum, rabidorum dentibus luporum? Hæc fortasse causa est cur non in fronte, quæ solet alioquin gestare coronam et insignia regis, sed in femore visus sit Joanni gerens inscriptum: *Rex regum et Dominus dominantium*, Apocal. XIX. quia nimirum gladio (quo ad femur accinguntur milites, Ps. XLIV. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*) et passionis

sue prælio titulum illum *Regis regum* sibi comparavit. Quem etiam imitatus est S. Silvester, Judæis et gentilibus fortiter se opponendo eosque convincendo. Et tu igitur, mi homo, quisquis es, præliandum tibi scias, tametsi id asperum videatur, contra carnem, mundum, dæmonem, si coronam expectas. Agesilaus, rex Spartarum de finibus et latitudine regni sui interrogatus: *Regni nostri fines sunt, inquit, quos gladius noster attingere nequit, apud Plutarc.* Quod si et tu percipias scire, quam spatiosum in cælo regnum habiturus sis, tibi respondeo: Quantum gladio tuo circumscripseris, ibi terminus regni tui erit, ubi pugnare contra vitia et hostes animæ tuæ cessaveris. E contra: *Hoc pro certo habeat* (inquit Sara illa Tobiæ junioris) *omnis, qui te* (Deum) *colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur*, Tob. III.

V. Ad ministrandum. Præcingi enim ministrantium quoque est. Unde Luc. XVII. in parabola dicit herus servo: *Præcinge te, et ministra mihi*. Debet ad hoc paratus esse etiam Christianus, ut pro data occasione ministret proximo suo. Quantuscumque vero sis, nihil honori tuo demitur, sed permultum potius accedit, cum alteri ministras. Sapientissimus fuit Diogenes, tametsi stultitiam affectaret. Is ergo cum Xenadi serviret pro mancipio, amici egebant pro eo redimendo. At ille: « Nequaquam, inquit, an nescitis leones non iis servire, a quibus aluntur, sed altores potius servire leonibus? Nam leo, ubicumque est, semper leo est. » Laert. lib. VII. Pari modo vir sapiens et honoratus, tametsi alteri ministerium aliquod præstet, nihil honoris perdit, sed permultum acquirit: *Ubicumque enim est, semper leo est*. Ficti illi leones, qui fulciebant thronum Salomonis, serviebant quidem regi, thronum ascendenti et in eo sedenti; verum inde ipsi decorem acquirebant, dum thronum regalem componebant et ornabant, III. Reg. X. Laudatur S. Martinus, non vituperatur quod subinde servo suo ministrum se præbuerit. Et quis non in cælum extollit quod egit Salvator noster, dum ipse *linteo se præcinxit* et serviit discipulis suis, pedes eorum lavando? Et quid tota ejus vita aliud fuit, nisi mancipatus et ministerium subditis exhibitum? Hunc imitatus S. Silvester: « Quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, et aqua illorum pedes abluens, et ad quiescendum eos in stragulis collocans, » ut habet auctor vitæ ejus.

VI. Ad natandum et transvadandum fluvium. Ita Petrus cum audisset Dominum ad littus stare: *Tunica succinxit se, et misit se in mare*, ut na-

tando (uti putat Chrysostomus et alii), vel pedibus mare pervadendo (uti Beda) ad Jesum pergeret, Joannis XXI. Tunicam igitur induit eamque succinxit, ne impedimento esset. Debet etiam Christianus ad hoc accinctus esse, ut pro Christi fide et gratia conservanda, in periculum vite, quasi in mare injiciat et flumina transvadet, quia Dominus ait: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, Luc. XIV. Ratio est, quia Christus, vita nostra beata et sempiterna, longissime, imo infinitis preferendus est vite nostre misere et momentanea. *Quæ est enim vita nostra?* ait S. Jacobus, cap. IV. *Vapor est ad modicum parens et deinceps exterminabitur*. Christus autem vita nostra *manet in æternum*. Quando igitur, Deo disponente, accidit, ut in aquas tribulationum, inopiam, contemptum, persecuciones, morbos incidamus; ibi opus est ut natare sciamus, hoc est, ut ea omnia, ne Christum perdamus, patienti et lubenti animo perferamus. Quod si tempus instat, ut ad alteram vitam transvadendum sit, per mortem qualemcumque tandem, ad hoc parati simus. Sic paratus erat S. Paulus, qui aiebat: *Scio et humiliari, scio et abundare: (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat*, ad Philip. IV. Quin etiam ad supplicium et mortem pro Christo perferendam, si res ferat et exigat, nemo se subducit: siquidem ipse eam pertulit pro nobis. Non est paris pretii vita servi cum vita regis, et quid vita puri hominis cum vita Filii Dei? Fæda et inexpiabilis fuit ingratitude Pharaonis, qui posteris Josephi cui vitam et conservationem totius Egypti debebat, denegavit paleas ad coquendos lateres. Repleverat Josephus omnia horrea regia tritico, et jam ejus posteris paleæ negantur. Christus, verus Joseph et Salvator mundi, vitam nobis attulit, et pro ea servanda suam deposuit, pretiosamque animam dedit: qui ergo dubitamus viles nostras animas ponere pro ipso? Nonne paleas exiguas et vilissimas pro immenso tritico damus? Expendit hoc Silvester, qui etiam, non urgente præcepto, sed stimulante solum charitate, martyres enectos et abjectos, præsentis vite sue periculo, rapuit et sepelivit: ad hæc, pro Romanorum plebe Christo concilianda, non dubitavit se exponere faucibus draconis, ut eas occluderet, pestiferas Romanis. Cum igitur habeamus et supremi nostri ac generalis militiæ ducis Christi luculentissimum exemplar, qui his omnibus modis balteo suo præcinctus, agmen præcessit; habeamus etiam præ oculis S. Silvestrum,

velut ejus armigerum minime ignavum, ducem suum Christum, etiam per abruptos scopulos, strenue sequentem; superest ut pos quoque intendamus vires, et quantum fieri poterit, post illos ascendamus ad montem victoriæ cœlestem. Non admittamus in nos hoc probrum, ut discincti inveniamur coram Deo.

CONCIO II.

CINGULUM CASTITATIS CUI COMPARANDUM.

Lumborum cingulum est castitas. — I. Fitque ex bysso retorta mortificationis. — II. Fit ex hyacintho orationis. — III. Ex purpura castæ societatis. — IV. Ex vermiculo his tincto, seu mortis memoria.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII.

Communis ss. patrum sententia est, uti S. Augustini, hom. XXIII. de verbis Domini; S. Gregorii, hom. XIII. in evang. S. Basilii, in c. XV. Isa. S. Hieronymi, lib. I. contra Jovin. S. Petri Chrysologi, ser. XXIV. et aliorum, per lumbos intelligere Christum carnis concupiscentiam, qua castitatis cingulo constringenda et coercenda sit. Præclarum id quidem consilium est, sed unde nobis tale cingulum? Vel quibus ex rebus conficiendum est? Quæramus in lege veteri, quæ saltem per figuram id nobis explicabit. Etenim inter vestes pontificias, reperimus etiam sacrum cingulum, quod Exod. XXXIX. jussit Deus fieri *de bysso retorta, hyacintho*, (hoc est, lana hyacinthini coloris) *purpura ac vermiculo his tincto*. Pretiosum sane est hoc cingulum: byssus enim ostendit esse forte et simul blandum, non asperum; hyacinthus, cœleste et angelicum; purpura, regium; vermiculus seu coccus, fulgidum ac speciosum. Neque solum pretiosum, sed etiam apprime utile; siquidem ad hoc præscribitur a Domino: *Ut, carne succincta, ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus*, inquit S. Chrysologus, loco citat. Solum id nunc superest, ut videamus quænam illa sint, ex quibus contexendum, adeoque nobis comparandum sit hoc cingulum. Quod hic agemus.

I. Ex bysso retorta. Bysus tenerrima textura et domuncula bombycis est; quare carnem nostram denotat, quæ quasi domus animæ est, eademque tenera valde et sensitiva. Porro, ut ea cingulum castitatis fiat, contorqueri per afflictiones, imo et retorqueri sæpius debet. Quemadmodum enim equus ore frænandus, constringendus loris insuper et flagellis coercendus est,

ne sessorem præcipitet aut dejiciat; ita quoque caro, ex perversa sua natura petulans et lasciva. Unde S. Augustinus, lib. de salutaribus document. IV. ait: «Caro data est nobis, quasi animæ bellum: quæ si mortificetur, adducit ad vitam; si nutriatur, præparat se contra animam ad mortem.» Quod in se expertus etiam sanctissimus ille apostolus Paulus, qui I. Cor. IX. ait: *Sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, Gr. subigo, contundo, velut equum scilicet petulantem, jejuniis, flagello, cilicio, frigore, labore. *Castitas enim sine comitibus suis, jejunio videlicet et temperantia, cito lassescit: quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, perfacile coronabitur*, ait S. Chrysostomus, hom. I. in Psal. L. Vidit hoc Elias (ex constanti veterum pp. sententia, virgo semper existens) qui, ut donum castitatis illibate conservaret, pelibus nirsutis carnem, et zona pellicea lumbos suos vestivit ac vexavit; quam ob causam *vir pilosus* appellatus fuit, IV. Reg. I. sciens maxime in lumbis dominari carnis pruritus. De jejunio ejus nihil dubitandum, cum in monte Carmelo habitaret, ubi vix aliud quid præter herbas ad victum habere poterat. Vidit Joannes Baptista, ob vitæ imitationem alter Elias dictus, qui carnem suam strinxit pilis camelorum, et pavit locustis, tamen in deserto extra omnium hominum conspectum viveret; ita ut vix scire posset, quid esset Venus. Vidit sanctus juvenis Hilarion, et ipse in deserto agens, de quo Sanctus Hieronymus in vita scribit: «Titillabat diabolus sensus ejus, et pubescenti corpori solida voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrannulus Christi cogitare quod nesciebat, et ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego, inquit, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam et siti: gravi onerabo pondere: per æstus indagabo et frigora, ac cibum potius quam lasciviam cogites. Herbarum ergo succo et paucis carycis post triduum vel quatrimum deficientem animam sustentabat, orans frequenter et psallens, et rastro humum fodiens, ut juniorum laborem labor operis duplicaret.» Idem se fecisse fatetur qui id scripsit, S. Hieron. epist. XXII. ad Eustoch. de cust. virgin. c. III. tametsi jam senex: «Mens (inquit) desiderii æstuebat in frigidum corpore, et ante hominem sua jam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque, omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam, etc.» Idem

fecere, præsertim urgente carnis tentatione, alii: Evagrius presbyter hibernis frigoribus in puteum, S. Bernardus abbas in lacum descendit; S. Aedoramus Tarvanensis episcopus in vepribus, uti et S. Benedictus; S. Franciscus in nivibus, se volutabat; alius ex ordine S. Dominici a scorto sollicitatus, in prunas se coniecit, apud Thom. Cantip. lib. II. apud c. XX. Denique, S. Borromæus card. ad quemdam cardinalem scribere non dubitavit: *Sine penitentia et asperitate vitæ, impossibile esse servare castitatem; utpote quam tantopere caro, dæmon et mundus impugnant. Quam proinde ut conservaret, ipse sibi voluptatibus interdixit, et rigidam vitam indixit*. Unde S. Thomas, II. II. q. CLI. ar. I. sentit castitatem a castigando dictam esse, quod ad modum pueri frændanda et castiganda sit. Certe Abdias Babyloicus, in vita S. Andreae apostoli, scribit Nicolaum quemdam nomine, Corinthi ad S. Andreaem venisse, ac dixisse se per annos septuaginta et quatuor. Veneris mancipium fuisse, rogasseque apostolum, ut suis sibi precibus impetraret continentiam, et jejunasse quidem apostolum atque orasse pro illo totis quinque diebus; nil tamen impetrasse, sed a Domino audisse: *Volo ut quemadmodum tu pro illo jejunasti, sic etiam ipse jejunet, suumque corpus affligat, si fieri salvus desiderat*. Quod cum is fecisset, toto semestri pane sicco et aqua victitans, transiit ex hac vita ad immortalem. Ecce quam verum, sine asperitate vitæ non servari castitatem!

II. Ex hyacintho. Omnium sententia hyacinthus olim cœli colorem referebat; qui nunc quidem melleum refert. Igitur hyacintho cingulum castitatis conficiens et conservans, est oratio, quæ in cœlum evehit orantem, cœlesteque illud donum impetrare potest. Testatur hoc Salomon, Sap. VIII. *Ut scrivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, etc. adii Dominum et deprecatus sum illum, et dixi totis præcordiis meis: Deus patrum meorum et Domine misericordiæ, etc.* Rationem exponit Cassianus, in institut. monast. «Quodammodo enim (inquit) exire de carne est, in corpore commorantem, et ultra naturam est fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præmium cœleste præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere evexerit castitatis.» Quare S. Augustinus pro hoc dono comparando summum extremum perfrugium habuit ad orationem: *Tota spes mea, ait, non nisi in magna valde misericordia tua. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis*, lib. X. confess. cap. XXIX. Licet enim aliæ quoque virtutes sint dona Dei ab eo petenda,